



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

71. Quam scientiam Episcopus ante consecrationem habere teneatur? Et deducitur examinatores promoventes Episcopum indoctum, &c. lethaliter peccare. Et quæritur, an eligendus sit ad Episcopatum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

Pasqualis in *99. Canon. cent. 1. quest. 31. num. 6. vbi sic*
ait: [An autem peccet mortaliter si non adhibeat
vnum solum ex insignibus Episcopalibus, adhibitis
tamen cæteris. Respondeo, si omittet Mithram, pec-
care mortaliter, quia hæc sola est illa, quæ tanquam
proprium insigne Episcopale adhibetur in exercitio
ministrandi Sacramentum; secus autem existimo de
cæteris, quia omisso vnus tantum non tolleretur sub-
stantiam apparatus exterioris Episcopalis, adhuc
enim ratione cæterorum insignium appareret ille mi-
nister, qui reuera est.] Ita ille.

RESOL. LXXI.

Quam scientiam Episcopus ante Consecrationem habere
tenetur?

Et deducitur Examinatores promouentes Episcopum in
deum, &c. lethaliter peccare.

Et quæritur an eligendus sit ad Episcopatum Theologus
an Canonista? Ex p. 1. tr. 1. Ref. 72.

§. 1. Respondet ad hoc dubium Petrus Marchant.
In tribunali Sacramentali *tom. 3. tr. 7. tit. 2.*
q. 2. solut. 2. vbi sic ait: Episcopus antequam consecra-
tur, tenetur sub pœna peccati mortaliter scire
omnia, quæ in Scriptura, & Legibus ac Canonibus
Ecclesiæ continentur ad sui officij executionem ne-
cessaria. Talia sunt mandata Dei, & Ecclesiæ prima-
ria decreta & præcepta, articuli omnes ad fidem per-
tinentes, eo ùmque principia, & fundamenta, ma-
teriz & formæ Sacramentorum, ac ritus ea admini-
strandi, & alia huiusmodi, sine quibus munia Episco-
pi verè exerceri nequeunt.

1. Ratio clara est: Quia aliàs se, & sibi commissos
exponit periculo grauium peccatorum, & abusuum,
siue etiam negligentiz, & omissionis eorum, ad quæ
tam ipse, quam oues ipsi commissæ tenentur.

3. Dixi (mortaliter) vt excludam scientiam Physi-
cam, & numeralem, qua ex tempore omnia dici, &
expressim possunt: Talis enim scientia sæpissimè etiam
in doctissimo viro impossibilis est: sufficit igitur, &
requiritur in Episcopo prædictorum scientia moralis:
moralis autem voco; Quando sciuntur illa in suis
principiis, & fundamentis, ita vt addito modico stu-
dio, & diligentia ceteri sciri, & penetrari possunt,
vique inquisitione, consultatione, & deliberatione
adhibita. Et hoc est quod inquiri mandatur in septima
Synodo supra allegata. Si in promptu habeat legem
scrutabiliter legem habere censetur, qui principia, &
primas cõclusiones legis habet, ita vt in modico studio,
inquisitione, & diligentia occurrentibus difficultati-
bus sibi, & aliis satisfacere possit: Excedit autem
transiuiam scientiam, quæ est eorum, qui audiue-
runt qui dem, & in genere percepserunt, sed ita tran-
sitorie, vt principia principales conclusiones animo
fortiter non inhaereant, ita vt per se ea scrutari non
possunt: Hæc enim verè ignari, & inscientis dici debet.

4. Et hoc sensu intelligendum est quod aliqui ex
Græco verbo pro Doct. pronunt *2. 2. 2. 2. id est, do-*
cibilem: Docibilis enim ille est, qui ex primis princi-
piis facile alia infert, vel modico studio cætera pen-
trant. Vnde Cyprianus ad Pompeiũ *Epist. 74.* Docibili-
s (inquit) ille est, qui est ad discendi patientiam lenis.
Oportet enim Episcopum non tantum docere, sed
etiam discere. Quia ille melius docet, qui quotidie cre-
scit, & proficit discendo meliora, & S. Ambr. *lib. de*
Officiis, cap. 1. de seipso qui in ciuilibus fuerat occu-
parus nec Theologicis ita potuerat imbui: Dicendum
(inquit) mihi simul, & docendum est, quoniam non
vacat ante discere: Et quantumlibet quisque profe-

cerit, nemo est qui doceri non egeat, dum viuat.

5. Ex quibus infero: Episcopum in consecratione
sua debere duo saltem habere, Primum Principia, &
fundamenta doctrinæ, & scientiæ eorum, quæ in
Episcopo ad Officij sui executionem requiruntur tam
in Sacra Scriptura, & Theologica Doctrina, quam in
Canonibus. Secundum diligentiam, sedulitatem,
promptamque voluntatem se in illis firmandi, & pro-
ficiendi studio, inquisitione, Consultationibus. Qui
aliter suscipit Episcopatum peccat mortaliter, & si
non conetur se in dictis scienter perficere, in periculo
continuo peccati mortalis velatur.

Dices: per alios quos adhibet in Consilium igno-
rantiam supplere potest.

6. Respondeo primò, Episcopi officium esse per-
sonale, & Pastorem posse ipsum, quantum impedi-
mento urgente non præpeditur, debere gregem pas-
cere. Vnde est illud 1. Petri 5. 2. Pascite qui in vobis
est gregem Domini. Et illud Act. 20. Attendite vobis
& vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit
Episcopos, regere Ecclesiam Dei: Vbi notanda sunt
verba vobis, & vos, quæ planè personalia sunt, & alienos,
& macerarios excludunt.

7. Respondeo secundò, Consiliorum munus esse
Consultationibus suum iudicium, & scientiæ, ac con-
sultationis causam, depromere: Idcirco sanctum est
Consilia exponere, sed Episcoporum est resolvere, in-
ter consilia discernere & ex consiliis, quod factus vi-
detur eligere: si verò Episcopus sit imperitus, & scienti-
æ fundamenta non habeat; quomodo inter bona,
& mala, inter vtilia, & vtiliora discernere poterit, aut
resolvere?

8. Addo, inter Consiliarios frequenter adhiberi
qui vel Chusi, vel Achitopel partes sequuntur, &
alij interdum, qui cum Consiliariis Roboam, vel in-
clinationes educationis sequuntur, vel ob iuuentutem
minus experti sunt, et si forte multa legerint nullius
vnquam praxim sunt adepti, aut qui ventum sequen-
tes, placere volunt magis quàm veritatem edicere:
Ab his quomodo se tutari poterit imperitus Episco-
pus?] Hucusque Marchant.

9. Nec deseram etiam hæc afferre verba Patris Ger-
rundi. *de Episc. tom. 1. lib. 3. disp. 2. cap. 1. num. 24.* Ita
asserentis, [Fit tertio, Episcopum in sua ordinatione
rogatum, an vtrumque sacrum sciat Testamentum:
asserentemque cum re vera ignotet, nec æquialiter
sufficienti saltem ad suum munus præcitus sit scientia,
lethaliter peccare, vt probè Riccard. *quodlib. 3. q. 23.*
Azor. instit. moral. p. 2. lib. 3. cap. 28. quest. 9. Syluest. *Episcop. num. 5.* & alij. Ratio est, quia perniciosè men-
titur, & in graue damnum animarum curam suscipit.
Addo, quia proxime se exponit periculo sacrilegorum,
iniustitiæ, aliorumque peccatorum, quibus scaturit
mala Præulatus administratio. Quod si necessaria
ad suum munus non ignoret, vt sunt, Authore Ric-
cardo, mandata Dei, mysteria fidei, virtutes, vitia,
iuramenta: addiderim Censuras, Statuta Ecclesiastica
magis vsu frequentia, onus, ac rationem visitan-
di Ecclesiæ suæ Diocesis, Ecclesiasticos distri-
buendi redditus, conferendi beneficia, immunitati
Ecclesiasticæ seruandæ, ac defendendæ, ac si quæ
sunt alia prudentis iudicio ad Episcopale munus
pro mediocritate scitu necessaria; tametsi præstan-
tissima cæterarum, & harum, quas memorauit, non
præset doctrina; neque ea expressè teneat quæ vtro-
que præterea continentur Testamento, non peccabit
mortaliter, etiamsi affirmatiuè in examine responderit,
quia consuetudo, quæ est optima legum interpret, *cap.*
cum dilectus de consuet. sic prædictam interpretantur
quæstionem Episcopo facta ex supra citatis Authori-
bus.] Hæc omnia Gerunda, qui postea optimè notat

hanc Episcopi ignorantia. Vnde etiam ea quæ dicta sunt, confirmantur per P. Fragosum de Regim Reipublice Christiane, tom. 2. lib. 8. disp. 1. §. 1. num. 10. Vnde ex his deducitur Examinatores promouentes Episcopum indoctum, ac sufficienti destitutum doctrina approbantes lethaliter peccare, quod à fortiori deducitur ex doctrina communi de Examinatoribus ad examen constitutis, periculumque scientiæ, quod beneficiatis ineundum est; ac docetur à Petro de Ledema in sum part. 2. tract. 7. cap. 1. concl. 7. diff. 1. 3. Rota Romæ apud Fatinac. decis. 572. Barbof. de offic. & potest. Episc. part. 3. allegat. 60. num. 93. & aliis; tum quia ipsi causa iuris moralis damnorum spiritualium, quæ ex indocti Episcopi administratione promanant. Hæc omnia idem Gerunda, quæ explicare voluit ad deterrandos Aulicos, & curiales ne Episcopatum ambiant, nescio enim an ipsi possunt in conscientia asserere, se scire ea, quæ superius Authores citati statuunt se esse obligatos scire; ipsi tamen videant. Sed an eligendus sit ad Episcopatum Theologus, an Canonista eruditè nouissimè tradidit Georgius Gobat Societatis Iesu, vir doctus, & ingeniosus, ac mihi arctissimis amicitia vinculis colligatus, in suis Vindiciis Theologicis, sect. 16. n. 416. cum sequent. in quibus defendit Theologos, & inter ipsos omnium minimum à stilo FERREO cuiusdam Authoris, qui contra Diam, ac modernos scripserat, Theologos non debere in suis operibus tractare materias legales, & Canonicas. Olepidum caput?

Sup. hoc magis late in tom. 3. tr. 3. Ref. 68.

RESOL. LXXII.

An possit Episcopus Ecclesis præfici?

Et notatur, quod dispensatio habita à Papa in pluralitate Ecclesiarum, absque iusta causa neque valida est, neque licita?

Et an sit illicita multiplicatio beneficiorum in eadem persona, &c.

Et an sit illicita facultas testandi concessa sine causa? Ex p. 12. tr. 1. Ref. 72.

§. 1. **H**anc quæstionem doctè, vt sæpe solet, pertractat P. Andreas Gerunda de Episcopo, tom. 2. lib. 8. disp. 12. c. 2. per tot. vbi firmat ex se: vnus Episcopus ad duas præfici, & cõsecrari Ecclesias nequit, siue in titulum, siue in Commendam, sic per communem sententiam Authores passim. Probat ex c. 2. Concil. Later. sub Alexandro I V. relato in c. multa de prebendis, & dignis. Secundò per Extravagantè execrabilis, quæ tametsi de pluralitate loquatur beneficiorum præsertim dignitatum, & Curam habentium animarum, potiori quidem iure competit Episcopati bus, quibus maximopere illa quadrat, & dum non sunt proprii in singulis Ecclesiis Rectores, priuantur multis commodis, iniuriis variis expositæ, & c. Et quod amarè est dolendum, animarum cura negligitur. Tertio ex Trident. sess. 7. c. 2. de reform. nemo quamcumque dignitate, & c. plures Metropolitanas, seu Cathedralis Ecclesias in titulum, seu commendam, aut alio quouis modo contra sacrorum Canonum instituta recipere, aut simul retinere præsumat. Insuper probatur ratione petita à matrimonio spirituali, quod subite diximus Episcopatum disp. 10. Argumentum autem à matrimonio carnali ad spirituale, & vsui esse in iure, & roboris non parum habere sæpè scripsimus ex c. inter corporalia, & finali de translatione, c. quoniam frequenter, §. porro, vt lite non contextata, alii que iuribus eruditè allatis ab Euerard. de locis, loc. 77. à matrimonio carnali, ad spirituale; nemini licet duas simul habere vxores matrimonio Carnali deunctas vt communis & Ca-

tholica fert doctrina, ergo neque in matrimonio spirituali id licere dicendum est. Confirmantur superius dicta à necessitate residentiæ, quæ summa est, neque præterquam ex vrgentissimis causis maxime per Trident. indicatis dispensari poterit, & ratio.

2. His tamen non obstantibus potest Papa ex causa vrgenti dispensare in pluralitate Ecclesiarum Cathedralium. Deducitur hæc assertio à fortiori ex nostro supposito primò, Authoribus ibidem citatis, atque ex assertione prima, idque etiam præstitisse Papam colligitur ex cap. Relato adiuncto text. in cap. iud. 2. quæst. 1. vbi expressa Pontificia habetur de duobus Ecclesiis dispensatio. Notandum tamen, quod dispensatio habita à Papa in pluralitate Ecclesiarum absque iusta causa, neque valida est neque licita, sic deduco ex D. Thoma quodlib. citat. 9. art. 15. Syluic. benefic. 4. in princ. & quæst. 2. Angel. ibid. num. 35. Armilla num. 42. Tabiena benefic. 2. num. 28. Antonin. 4. pract. tit. 15. cap. 1. §. 8. & 10. Gabriel in 4. disp. 15. quæst. 8. art. 3. dub. 2. Gadauensis quodlib. 2. quæst. 27. Nauar. capit. quando & in summ. cap. 22. n. 75. Panorm. cap. de multa de prebendis, num. 20. Ioan. And. ibid. Turrecremat. cap. 1. disp. 89. num. 1415. & 16. Caiet. & alij, quos citat, & sequitur Sanchez lib. 2. Conciliorum, part. 2. dub. 6. num. 13. & alij. Ratio est quia pluralitas horum præsertim beneficiorum absque causa honestate, iuris est naturalis diuini, in quo non potest validè Papa dispensare.

3. Sed quam sit illicita multiplicatio beneficiorum in eadem persona, cognoscat Lector ex amicitissimo, & nunquam satis laudato Patre Theophylo Raynaudo in sua eruditissima Incubatione de vitiis Ecclesie male, siue captis, siue dispensatis, lib. 2. sect. 2. cap. 7. per totum: vbi doctè, vt semper solet, firmat multiplicationem beneficiorum quorumcumque in eadem persona, vltra quam necesse sit ad honestam eius sustentationem per se loquendo, grauiter illicitam esse: tametsi per accidens in talibus quibusdam euentibus honestari potest. Vide etiam nostrum Patrem Thomam Pellicionem Quinquagena Illustri quæstionum quæst. 50. cap. 1. num. 1. 2. 3. & 4. sententiam Patris Raynaudi late, & solidè confirmantem, sed non deseram hic apponere verba Ioannis à Cochier. in Vindiciis libertatis Ecclesiasticae, part. 2. cap. 9. num. 7. sic asserentis: [Ast ego abusus huic acceptum fero ambitioni, & cupiditati multorum, qui seipsum in Deum decipientes, vt loquitur Sac. Concilium Tridentinum, sess. 24. cap. 17. plura simul beneficia retinere non erubescunt cum certissimo Animarum suarum periculo, cap. qui in tantum de prebendis. Nam cum plerisque mediocri fortis licet interdum perhonestæ, vt vocationi suæ morem gerant initiati sacris appetant, titulo patrimonij sit, vt Sacerdotij carentes huic vitæ generi non respondente patrimonio concedenter viuere, & diuinis vacare ad utilitatem animarum nequeant. Quod si singule Ecclesie, siue singula Sacerdotia singulis conferrentur, arceretur à multis egestas, cum vix possunt plura beneficia ad vnum peruenire, vt scribit Rebuff. in pract. tit. de dispensat. num. 20. sine paupertate plurimum. Accidit quod beneficiorum fundatores fraudentur sua intentione, qui voluerunt Ecclesias providere suis mysterijs debitæ, quod pluralitate tollitur vitiis. Filliuc. tract. moral. quæst. tract. 4. 1. cap. 7. num. 3. Denique literarum studia neglecta iacent; & vitiisque enim spes honorum debilitatur, scilicet, & quod meritorum ratio non habetur, & quod auidæ diuorum auaritia impedimento est, ne inhospes promoueat. Cardin. Bellarm. in Admonit. ad Carp. Theanensem nepotem suum controu. 5.

4. Quæ aliquæ causa mouerunt sanctos Patres nouissi